

Beryti et Constantinopoli ius doceri coeptum esset, his in scholis Gai libris ad edictum urbic peace alteros ad edictum provinciale substitutos esse, solennibus tamen partibus et nominibus retentis, id cum re ipsa verisimile est¹, tum eo confirmatur, quod Iustiniani tempore libri ad edictum provinciale integri extabant, ex libris ad ed. urbic peace vero in provinciis scilicet neglectis tantum decem supererant.

Etiam libros ex Q. Mucio Gaium in scholarum usum scripsisse certe probabile est. Nam cum ad eos quoque iuxta edicti interpretationem lectorem ablegat, quasi promulgatis loco aliquid addens verbis 'hoc solum tantisper sufficit admonuisse' (1, 188. cf. 2, 97), nonne discipulos videtur respicere, ex illis libris postea uberius instruendos? Suspiciari igitur licet in scholis hos libros antea eum locum obtinuisse, in quem postea Papiniani responsa venerint.

Denique primus Gaius, ut iam dixi, elementa quaedam iuris civilis composuit et ab ipsis instituendis studiosis oratorum exemplum secutus² appellavit Institutiones, vel quem integrum i. e. a librariis nondum mutilatum eius-

antiquior Gaio non videtur. Sic praeter ipsum eius aequales Julianum de ambiguitatibus, Pomponium Enchiridii librum singularem invenio scripsisse. Antea liber simpliciter dicebatur, ex. gr. ut antiquiores taceam, Neratii Prisci de dotibus (Gell. 4, 4), Masurii Sabini de furtis (Gell. 11, 18), Labeonis de officio senatorio (Gell. 4, 10), Cascellii unus bene dictorum (L. 2 § 45. D. de orig. iur. 1, 2). Q. Mucium vero alia ratione librum singularem δρων scripsisse, ratione scilicet habita librorum octodecim de iure civili, quibus quasi universis accederet, iam dixi.

1) Provinciale enim edictum et ipsum continebat edictum urbic peace, quod ut Julianus praetor composuerat et proposuerat post perpetuo similiter proponendum, ita Hadrianus proconsul in provinciis suis proposuisse et SCto facto (cuius Iustinianus const. Tanta circa § 18 meminit) a ceteris proconsulibus proponendum curasse existimandus est. Unde Paeanio teste (ad Eutrop. 8, 17 [p. 147, 26 ed. Droysen]) edictum, quod in Italia Latine dicebatur perpetuum, etiam suo tempore τὸ Ἀδριανὸν vocatum est. 2) Nam et Quintilianus Institutionem orationis et Celsus orator teste Schol. ad Iuvenal. 6, 245 Institutiones scripserat.